



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Mvsae Brasavoli Medici Ferrariensis Examen  
omnium Trochiscorum Vnguentorum, Ceratorum,  
Emplastrorum, Cataplasmatumque, & Collyriorum**

**Brasavola, Antonio Musa**

**Venetiis, MDLI**

Vnguentum Agrippæ XXIX

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70720)

differentia, tamen hanc deinceps seruabo. BRASA. Compositio hæc nomen à musco contraxisse potest, quoniam illã copiose ingreditur. SE. Per punicum oleũ quid intelligere oportet. BRAS. Oleum oliuarum quod apud Punicos, & Aphricanos erat optimum.

SE N E X. XXIX.

Agrippæ unguentum se offert cõsiderandum. BRASA. In hoc unguento non multum differunt pharmaco polæ, nam omnes Nicolaum Propositum sequuntur qui ita conficit.

Recipe bryoniae lib. II.

|                          |                       |
|--------------------------|-----------------------|
| Radicis ebulorum         | } Singulorum unc. II. |
| Tribuli marini           |                       |
| Radicis elaterij lib. I. |                       |
| Scillæ unc. VI.          |                       |
| Iridis unc. III.         |                       |
| Radicis filicis unc. II. |                       |

Radices ter, uel quater probè abluantur, & in marmoreo mortario pistètur, & quatuor libræ olei lentiscini, uel cõmunis per duos dies addantur, at magis polleat, si per sex, uel septem permanerèt, quia calorem, & odorè, et efficaciam sibi uendicaret, tertio uero ad ignè ponantur, & tãdiu bulliant quoad emollescant, minuantur, ac frangantur: deinde in saccum ponantur, et exprimendo colentur, & cum colatum fuerit igni suspendatur, cumq; bullire incoeperit addantur unc. quindecim ceræ albissimæ, qua liquefacta ab igne deponatur, & cum infrigidatum fuerit colligito, & seruato. si radices in oleo dimittantur, unguentum efficacius euadit. SE. Ad quos ualet hoc unguentũ affectus? BRAS. A Ni-

u i ij colao



## BRASAVOLI

colao Proposito dicitur ad hydropas ualere, & ad oēs tumores in quacunq; sint corporis parte, & ad neruos cōtractos: urinam prouocat, si uenter inungatur laxat, renū doloribus ex frigida causa succurrit. SE. Est ne uerum quod Agrippa uocetur, quia Agrippa Iudaeorum Rex eo uteretur, & ob dignitatem suam nulli discipulorum suorum tradere uoluerit? BRASA. Quos discipulos habuit Agrippa? nugæ sunt gerulae, id forte est, quod Nicolaus Alexandrinus dixit in libro de Cōpositione medicamentorum capite nongentesimo nonagesimo quinto cum ait, Vnguētum Agrippæ Regis Iudaeorum, quod tanti momēti est, ut nemini subditorum cōmunicari uoluerit uiuus. SE. Ni piget quæ ab hoc authore dicuntur referto. BRAS. Ita inquit ad omnē neruorum imbecillitatem ualere ad tumores, ad totius corporis dolorem, ad uentrem induratum ad stranguriam. Recipe Bryoniae lib. VIII.

Siccidis lib. IIII.

Scillae lib. III.

Olei gleucini, & ceræ albæ quātum sufficit. radices bryoniae, & siccidis ablutas a neo cultro incide, & dies octo ī oleo repone, tertio die lēto igne coque donec herbae discedant & per sacculum fortiter cola, abiectisque herbis ceram adde, & liquata conde, & usui reserua. SE. Multa desunt in hac cōpositione. BRAS. Arbitror potius multa esse addita à Nicolao Proposito, quæ ab Alexandrino, à quo accepit, non sunt posita. At statim Alexandrinus aliud Agrippæ unguentum refert uocatum bryonicum, & ait hoc fronti illitnm capitis medetur dolori, nephriticis, tumoribus, & doloribus ad ignem



ad ignem inunctum, stranguriam, & dysuriam prælo-  
tis renibus, & genitalibus ex decoctione apij, & mace-  
donij ad ignem inunctum sanat.

Recipe olei lib. VI.

Bryonia lib. III.

Ceræ lib. I.

Coque ut præcedens, habet enim vires similes per  
omnia. SE. Quam compositionem seruaturus sum?  
BRAS. Posteaquam compositio illa Nicolai Proposi-  
ti in publico usu est, illam seruato.

SENE X.

XXX.

Vnguentum pro Splene suam sedem hic habet. BRAS.  
Hoc unum est ex his unguentis quæ apud diuersos phar-  
macopolas diuersa sunt, à tuo igitur incipito: q̄ seruas?  
SE. Hoc seruo quod nunc referam.

Recipe mucilaginis psyllij

Fœnu græci

Sem. lini.

Sem. cotoneorum

Althææ

Adipis gallinæ

Anseris

Anatis

Butyri recentis

Axungie suillæ absq; sale

Medulle bouis

Scolopendriæ

Tamarisci

Corticū radicū capporū

Corticū medior. fraxini

Singulorum unc. I.

Singul. unc. VI.

Sing. unc. III.

Sing. drachm. III.

u. iij. Olei